

**05**

**A**

**1197**









A

D. O. M. A.

De

# MELANCHOLIA

## ejusq; speciebus

Ἀγώνισμα ἰατρικόν

Quod

SVB PRAESIDIO

# TOBIÆ TANDLERI

Torgensis D. & Medicinæ Profess.

Publ.

*In illustri Academia Leucorea pro Medica  
artis Licentia impetranda*

*Publicò propugnabunt*

## M. Petrus Schmilauer,

à Schmilau Iglaviensis Moravus.

## M. Iohannes Ioachimus

Anomœus Lincensis Austriacus.

*Ad diem 18. Novembris horis matutinis ac pomeridianis,  
in aroaterio majore.*

W I T E B E R G Æ

Typis Cratonianis exscribebat Johan. Gorman.



MELANCHOLIA

quasi specibus

LOBITANERIA



MS A 158

M. Johannes Joachimus







# DE MELANCHOLIÆ natura, causis, differen- tiji & signis.

*Resp. indebit*

M. PETRUS SCHMILAUER  
à Schmilau Iglaviensis Moravus.



*U*lò major animæ rationalis excel-  
lentiæ, splendorq̃, si minus impedita suis  
vacet actionibus: eò magis ejus deploran-  
da corruptio vel obfuscatio, qua nunc phan-  
tasia, nunc etiam *Agévoia* pervertitur, ut à  
vero aberret, ac horrenda dictu fingat, in-  
ferat & committat. Intricatam igitur  
hujus effectiois, qua sub autumno se frequentius exerit, contem-  
plationem, fructuosamq̃, a molitionem sũlxiq̃ dogmatica jana  
ventilare non intempestivum.

## THEMA PRIMUM.

*Quam Græci πᾶσι φρονήσεσσι ἢ πᾶσι φρονήσεσιν, Latini*  
Dementiam, delirium vel desipientiam, quan-  
doq̃, mentis impotentiam, ab alienationem, vel

*A* *aber-*



aberrationem vocant: Germani Wenn einer im  
Kopff oder Gehirn verrückt ist.

II.

Intelligunt enim depravatam principum  
facultatum functionem, à cerebri dyscrasia pro-  
venientem.

III.

Cerebrum verò leditur aliquando κατ' ιδιοπάθειαν  
aliquando κατὰ συμπάθειαν.

IV.

Primariò εἶ κατ' ιδιοπάθειαν infestatur imagi-  
nationis ac rationis domicilium, quando per in-  
temperiem aliquam ipsum cerebri corpus adeò  
labefactatur, ut ad actiones suas inhabile redda-  
tur.

V.

Quod interdum sine febre contingit, interdum  
quoq; comitem febrem admittit.

VI.

Febris ex pers desipientia suos intra cancel-  
los distinctè consideratur, prout modò levior,  
modò vehementior fuerit.

VII.

Levior enim Gracis λέγεται, λήρησις, παροξυσμοῦ καὶ  
παροξυσμῶν mitiorem discursus errorem, nec adeò  
diu-



diuturnum, à causis minus valentibus ortum  
designat. VIII.

Vehementior ac intensior indolem quoq; du-  
plicem præ se fert: quatenus aut cum timore mœ-  
sticiaq; mentem habet dejectam ac desperabun-  
dam, quæ Melancholia nuncupatur: aut cum  
furore, & iracundia animum effrenum ac furi-  
bundum declarat, & hæc Mania dici solet.

IX.

Spectant ad hanc *λυκανθροπία, κωσανθροπία*, furor  
uterinus, amor vesanus, & id genus insania  
quæcumq;.

X.

Febre verò comitata dementia, si vehemen-  
ter atque semper ægrum, donec morbi solutio fi-  
at, affligat, Phrenitis; sin mitius & interpolatis  
paroxysmis ab aliorum fomite morborum pro-  
veniat Paraphrenitis appellatur.

XI.

Secundario denique & *κατὰ συμπάθειαν* multi-  
formiter cerebrum turbatur: aliàs vitio totius  
corporis, ut in ardentium februm incendio: ali-  
às respectu partium pessimè habentium, ut pul-  
monis, pleuræ, diaphragmatis, ventriculi, Epä-  
tis,

A 3 tis,



tis, lienis, mesenterij, uteri, quæ suis pathematis  
fontem sensuum trahunt in consensum.

XII.

At omiſſis aliorum deliriorum speciebus, in  
preſentia Melancholiam cum ſuis cauſis ac dif-  
ferentiis dignoſcendi & amolendi lampadem  
preferemus.

XIII.

*μελαγχολία* nomen ab ipſa cauſa, velut aliis  
pluribus eſt morbis familiare, peti, Galenus au-  
tor eſt. lib. Meth. Med. 2. cap. 2. Effectus e-  
nim à cauſa denominatur, eundemq; titulum  
hic meretur.

XIV.

Cauſa namq; delirationis huiusmodi ſt atui-  
tur *ως ἰστί το πύδι* ſuccus ater ac fœculentus, qui na-  
tura limites ab intemperie quadam exorbitare  
coactus, jam ſubſtantia ſua *παρεξί θυμῷ* habente,  
jam ſpiritu nebuloſo cerebrum ferit, exagitat, e-  
juſq; functiones confundit.

XV.

Affectus itaq; Melancholicus vel morbum,  
puta cerebri veluti partis ſimilaris intemperie,  
quam imaginationis & ratiocinationis aliquã-  
do de-



do depravatio sequitur, denotat: vel symptoma,  
nempe lesam cerebri actionem, precipue si *δδτεγως*  
Et ex inferiorum partium conspiratione pro-  
cedat.

### XVI.

Cerebrum tamen, quod actionum princi-  
pum *Ενεμονικων περὶ τοῦ αἵτιον*, primumq; fundamen-  
tum est, hic semper laborare, necessum est, si-  
ve per essentiam, caloris aut doloris respectu ma-  
teriam alienam attrahat: siue per consensum,  
ob suam frigiditatem *Ε* humiditatem debile  
transmissam aliunde mineram facile suscipiat.

### XVII.

Et quanquam plures hujus morbi species, ut  
inferius aperiemus, dentur: omnes tamen una  
definitione complecti, videtur opera precium.

### XVIII.

Melancholiam proinde ut ab aliis conge-  
neribus morbis distinguamus, ita definire placet:  
quod sit, ut e dictis liquet, actio cerebri princi-  
palis corrupta, cum timore *Ε* mœstitia, citra  
febrem, furorem, causamq; aliam evidentem,  
à tenebricoso spiritu animale perturbante, pro-  
ducta.

Ti-



XIX.

Timorem & mœrorem ceu formales proprie-  
tates hunc ab aliis affectum dilucidè secernentes  
recipimus. Ita scilicet à melancholia, phrenitis  
& mania distinguuntur: quod hæc utraque non  
metum ac desperationem, sed confidentiam; non  
mœrorem, sed furorem sibi teneat conjunctum.

XX.

Unde verò metus ac mœstitia melancholico-  
rum oboriatur, Averrhoi & hujus asseclis cum  
Galeno & aliis antiquorum non convenit.

XXI.

Averrhoes enim contra Galenum evincere  
conatur, nigredinem siue humoris siue spiritus in  
cerebro metus ac mœroris causam non esse: cum  
color per se cerebri operationem, quia morbus nõ  
est, offendere; per suam luciditatem, ut in oculis  
functiones exercere suas; & positivi effectus cau-  
sa, siquidem privatio est, nempe tenebræ spirituum  
ad lucem collata, esse nequeat.

XXII.

Galenus autem & hujus astipulatores con-  
tendunt: immediatè colorem pathemata illa  
non efficere, sed malè coloratum humorem vel  
spi-



spiritum, qui sua nigredine phantasma a cerebri  
obscurat: ut in oculis alienus cornea tunica color  
visionem depravat. *Æquè enim per suam* *ἰσχυρὰν*  
*ἰσχυρὰν*, quam spirituum animalium natura se-  
quitur, cerebrum operatur.

### XXIII.

Tantum igitur abest, ut *ἰσχυρὰν* ejusmodi af-  
fectus adequatam causam dicamus, ut potius  
vel intemperiem cerebri frigidam & siccam, qua  
spiritibus calidis ac humidis tarditatem, timo-  
rem ac mœstítiam adfert; vel opacos vapores,  
qui spiritus animales inquinant & obfuscant,  
pro efficiente positiva agnoscamus.

### XXIV.

Nam ut in tenebris pueri & indocti, nisi val-  
de audaces fuerint, terrentur, ita Galenus lib. 3.  
de loc affect. c. 6. loquitur: ut Sol, qui lumen est  
mundi, nebula vel fumo interveniente, lumen a-  
mittit, inquit lib. de Melancholia, Africanus:  
ita mens atrabilis fumo turbatur, ut aliter quã  
sint res apprehendat, judicet, & subratione hor-  
rendi conceptas metuat, mœreat, indeq; terrea-  
tur. Ad corporis enim & humorum *ἰσχυρὰν* a-

B

nima



nima variantur actiones, ut Galenus libello proprio demonstravit.

### XXV.

Porro citra febrem dicimus esse melancholiam, ut & hoc respectu eandem tum à Phrenitide, tum ab aliis, quæ vel ardentes febres comitantur, vel has sequuntur, deliriis, distinguere-mus. Nihil itaque nos movet, quæ Hollerij interpres & Pereda capite de Melancholia in contrarium exempla produciunt.

### XXVI.

Citra furorem quoque melancholiam considerari debere, significavimus, causa Mania. Quamvis enim hæc secundum Trallianum lib. 1. cap. 17. melancholia censeatur intensio ad majorem feritatem: quasi melancholia sit mania initium & pars, ut Aretæus habet: <sup>ἀνὸς</sup> tamen ita denominatur, quando quidem causis atque signis ab illa longius recedit.

### XXVII.

Citra manifestam insuper causam orta melancholia sit, oportet. Evidens enim si dari potest hujusmodi mali initium, puta si quis ob amissum thesaurum, amicum, vel conjugem contristetur:

se



seu propter facinus aliquod, aut instans periculum  
metuat: idcirco melancholicus non est. Et si alia  
neganda ad hanc animi aegritudinem facere pos-  
sint.

### XXVIII.

A tenebricoso tandem spiritu, quem Avicen-  
na vocat sylvestrem, proficisci praesens incommo-  
dum, statuimus, ut causam proximam  $\text{Et} \text{ omnia}$   
innueremus.

### XXIX.

Ut enim spiritus animalis, qui virtute cere-  
brinatus, inter animam  $\text{Et}$  ejus organa media-  
tor  $\text{Et}$  facultatum principum rector est, quam-  
diu purus, splendidus ac velut aethereus existit,  
anima quoque munia laudabiliter administrat:  
ita contaminatus idem, vel atris aspersus fumis  
phantasiae idola, commaculat, ac deturpat, ani-  
moque saepius ea, quae nusquam sunt, quasi asta-  
rent, offert.

### XXX.

Sic aurigine laborantium oculi bile flava suf-  
fusi qualibet objecta sive alba sive coloris alteri-  
us fuerint, judicant citrina: sic febricantium  
lingua bilis halitu tincta, putat omnia, quam-  
vis etiam dulcia sint, amara. Sensus enim subje-  
cti male proportionati affectionem imitatur.

B 2

Te-



## XXXI.

Tenebricosus itaque spiritus, vel ab externis  
vel ab internis agentibus fovetur ac dependet.

## XXXII.

Externis annumeramus res non naturales  
communiter appellatas: inter quas inevitabilis  
est Aer, qui si calidior sicciorq<sup>2</sup> sit, spiritus resol-  
vit, humoresq<sup>2</sup> adurit: hinc aestate declinante  
sanguis Melancholicus ut plurimum domina-  
tur.

## XXXIII.

Sin aer frigidior sicciorq<sup>2</sup> vel etiam turbidus,  
& instabilis, cujusmodi plerunq<sup>2</sup> autumnalis  
est, exstiterit, potissimū in locis paludosis, lacuo-  
sis, in vallibus sitis, & circa magna flumina, ni-  
gra cholera proventum valde auget. Humores  
enim in tali aere putrido & suffocato congelati  
non difflantur, nec à superfluitatibus emundan-  
tur.

## XXXIV.

Alimentorum quoque degener & immo-  
deratior usus melancholicum succum redunda-  
refacit. Ut si quis carne bubula, caprina, hir-  
cina, taurina, leporina, aprina, limacum & a-  
quatilium, precipue marinorum, ut sunt balena,  
thunni, vituli marini, omniaque cetacea, aceto,  
sale,



sale, vel muria conditorum, frequenter vesca-  
tur.

### XXXV.

Non tantum enim hac <sup>durantia</sup> sunt, calorēq;  
nativum debilitant, sed etiam prævum post se  
crassumq; chymum, qui facili opera venas ob-  
struit, & consuetas evacuationes retardat, re-  
linquunt. Quod & esus panis impurioris, fur-  
furacei, vel ex milio, panico fabisve confecti, præ-  
stare consuevit: ut & casei veteris ac siccioris  
comestio.

### XXXVI.

Ex oleribus damnosa maximè brassica, &  
omnia reliqua, nisi valdè humida fuerint, ut la-  
ctuca, buglossa: è leguminibus lentes insignioris  
noxæ. Quamvis etiam cætera, cum primis ama-  
ra, arborumq; germina, sale vel aceto condita,  
quo nomine Gradersis etiam lupulorum  
& asparagorum summitates intelligit, laudan-  
da non sint.

### XXXVII.

Potus loco tam cerevisia, si recens, crassa &  
seculenta fuerit; quàm vinum, si ve novum ni-  
gricans nondumq; satis defecatum, quod oppi-  
landis visceribus apprime commodum; si ve an-  
tiquum forteq; quod & caput, affatim ingurgi-

B 3

ta-



tatum, potenter ferit, & aliàs debile cerebrum  
validius conturbat, ad melancholiam disponit.

### XXXVIII.

Quod si jam vel inedia longior, vel somni de-  
fectus, vel exercitatio vehementior & in homi-  
nibus ingenij subtilioris assiduus studiorum fer-  
vor, vel usus veneris immoderatio vel alia qua-  
cunq; superflua corporis inanitio superveniant;  
hæc quoq; singula nimis desiccando, calidum na-  
tivum dissipando magnam saburra Melan-  
cholicæ copiam queunt coacervare.

### XXXIX.

Evenit & hoc, corpore per ocium diuturnius  
torpente, venisq; per quas vel hæmorrhoidum,  
vel mensium fluxus aliàs stat a periodo fieri, con-  
sueverat, obstructis: ac semine præter naturam  
retento: præsertim si vel cura, vel mærores, vel  
amor vesanus vel solitudinis aut carceris angu-  
stia quacunq; occasione conspirarint.

### XL.

Accensent hic aliqui cacodæmonis potenti-  
am, cujus in humore Melancholico, ceu balneo  
dominatus affectorū corpora mirificè impellit,  
ut admiranda & supra vires humanas facere



linguas incognitas eloqui, artes, quas nunquam didicerunt, exercere, secreta aliorum & futura detegere possint. At hac, ut naturam, sic Medicina limites excedunt.

XLI.

Externis succedunt interna causa, quae spiritum animale tenebricosum reddunt, aut secundum propriam substantiam, aut propter alieni corporis admistionem.

XLII.

Obtenebratur enim per se spiritus animalis propter intemperiem cerebri quandoque calidam & siccam, quae cordi communicata, coctionem eius laedit, sanguinem aliam laudabilem depravat, partesque subtiles ac luminosas, quae facili depereunt, resolvit, opacis & adustis relictis, e quibus vitalis quoque spiritus obfuscat, & ex quo postea animalis tenebrosus gignitur.

XLIII.

Quandoque frigidam siccamque cerebri dyscrasiam, sed absque materia, compatiens cordis eadem intemperies a sanguine partes diaphanas ac luminosas exprimendo spiritum vitalem tenebricosum facit, cuius noxam postmodum animalis emulatur, & sylvestris evadit. Ali.



#### XLIV.

*Alieni verò corporis aut vaporis aut humoris admistione conspurcatur animalis spiritus ac tenebrosior generatur quando vitium, vel à toto corpore, vel ab hypochondriis præcipuè suppeditatur.*

#### XLV.

*A toto quidem corpore & ambitu omnium venarum, crasso & nigricante sanguine propter intemperiem calidam, redundantium regurgitat idem ad cor & cerebrum, spiritusque tam vitalem quam animale[m] inficit, ac sua perspicuitate defraudat.*

#### XLVI.

*Ab Hypochondriis autem si malum derivatur, variis id partibus acceptum ferri potest, nunc ventriculo, nunc mesenterio, nunc Ep[ati], nunc lieni, nunc utero, aliisve membris.*

#### XLVII.

*A ventriculo Melancholia oriri scribitur Galeno, non quod humor ater in ibi generetur, sed quod aliunde vel à splene vel aliis partibus, in hunc infusus orificium superius admodum*  
sen-



sensile lancinet, cerebrumq; κατὰ σωματικὰς affli-  
gat.

XLVIII.

A Mesenterio multis venis arteriisque do-  
nato eadem passio causari putatur, quod exili-  
bus illis vasorum ductibus, per quos velut angi-  
portus chylus in Epas distribuitur, ut appositè  
Galenus lib. 4. de usu part. c. 2. describit, obstru-  
ctionem incurrentibus, calor putridos halitus ad  
cerebrum eleuet fumosos, à quibus phantasia &  
intellectus officina nonnunquam obnubilatur.

XLIX.

Ab Epate Melancholiam foveri posse quis  
inficiabitur, si consideret ἐμπεριεξω ejus frequen-  
tem? cuius culpa nunc humoris melancholici ad  
splenem sequestratio impeditur, ut sanguinem  
permistione sua reddat atrum; nunc febrilis ca-  
lor incenditur, cuius ardore chymus educitur,  
innatum calidum resolvitur & frigida dyscra-  
sia succedit.

L.

A Liene non infrequentius dementiam  
fieri melancholicam, certum est, quando vel ob-  
structionis vel intemperiei frigida causa succum  
C facu-



faculentum non attrahit, nec expellit, ut propterea in toto colligatur & putrescat.

L I.

Ab utero denique, vel spermaticis vasis idem evenire produnt Hipp. l. de morb. virg. Galenus l. 6. de locis affectis c. 5. Aretaus lib. 2. morb. acut. c. 8. Clausis enim vasorum osculis præter naturam subsistunt menses, & eventatione prohibita putredinem concipiunt, ut & semen justo diutius in viduis ac virginibus grandioribus retentum: Horum itaque vapor, velut aura, non tantum cor sed etiam cerebrum ferit, ejusque operationes pervertit.

L II.

**Differentia.** E dictis hucusque differentias præsentis affectionis conjicere non est arduum. Quædam enim *κατὰ ἰδιότητα* facta melancholia, primaria vocatur, quæ per se cerebro, tanquam primo subiecto, ascribenda. Alia præter hanc *κατὰ σύμπεπαισιν* duplex occurrit: altera totius vitio, altera, causa hypochondriorum.

L III.

Melancholia per consensum totius indigitatur ea, quando caliditas Hepatis modum excedens, sanguinem adurit, insitumque calorem dissolvit.

viti



vit, in etate potissimum declināte, ut siccior frigidiorq; sanguis per venas toti impertiatur.

LIV.

Hypochondriorum, causa delirij species oritur, qua nomen affecti loci mutuatur & Hypochondriaca, Mesenterica, vel precordialis passio; Mauritanis Mirachia, nec non <sup>κατὰ δόξαν</sup> <sup>αἰτίας</sup> flatuosa nuncupatur, quod in hac plurimi flatus observentur. LV.

Affectam verò pathematis hypochondriaci partem non unam statuimus, ut aliqui splenem: sed ut Anatome varias numero & substantia distinctas ostendit, omnes sub abdomine positas huic incendio fomitem subministrare posse, cum Diocle, cujus apud Gal. lib. 3. de loc. affect. c. 6. fit mentio, arbitramur: in primis tamen vasa Mesaraica, ventriculo & intestinis annexa sensibilius affecta putamus.

LVI.

Existunt & alia presentis affectus differentia, vel ab ortu, vel à duratione, vel à symptomatis petita.

LVII.

Ortus respectu fit alia Melancholia <sup>κατὰ πρῶτον</sup> <sup>παράδωκον</sup>, & per se incipit, alio nullo morbo proceden-



cedente: alia, κατὰ δὲ τὴν ἀνάγκην, qua quasi filia  
priorum, sequitur alios: Sic à febris acutis,  
quartana, aliisque chronicis eadem generatur.

LVIII.

Duratio ergo, quaedam continua est, ut si  
περίω: affectum cerebrum; qua sine quiete & in-  
termissione mentem fatigat & irretitam tenet:  
quaedam Periodica, qua statura tempora servat,  
& vel regularibus paroxysmis recrudescit; vel  
incertis infestat.

LIX.

Symptomatum quoque causa valde dispa-  
res reperiuntur melancholici: vel pro varia cor-  
poris dispositione, quam in diversis individuis  
humor idem aliter atq; aliter concitat, vel pro  
varietate humoris ex victu antegresso producti;  
vel pro diverso vitæ genere & assuetudine aliis-  
ve accidentibus.

LX.

Sic aliquis, cui siccior corporis habitus, se te-  
stam factum putavit, obviantibus cedens, ne  
collideretur: alius sibi caput ademptum somni-  
abat, ob flatuum copiam: alius se tubicines au-  
dire propter aurium tinnitus: alius se spectra vel  
da-



damones videre, propter fumos ad visivam virtutem irruentes.

### LXI.

Sic & vitæ genus & consuetudo phantasmata variat. Theologus enim se cum angelis loqui, se Christum profitetur: Juris studiosus acta fori declamat; Chymicus auri confectionem; avarus et si opulentissimus, omnium rerum inopiam deflet: astronomus, se Prophetam; aulicus se regem venditat.

### LXII.

Quin & externa fortuita vanas imagines suppeditant melancholicis. Arthemidorus Grammaticus, ob visum crocodilum, sibi crus & manum exempta conquestus est: mulier, fortè propter visum serpentem, se eundem vorasse, deploravit: alius, inquit Galenus, gallos cantare audiens, ut hi alarum, sic ille brachiorum plausu latera quatens, illorum sonum imitatus est. At quis omnium, & inenarrabilium vanitatum causas explicabit?

### LXIII.

Præteritis his, ad signa progredimur, que <sup>Signa Diagnostica</sup> vel imminentem prævidere, vel instantem, ac

C 3

præ-



presentē dignoscere tam in genere, quàm in specie nos informant.

LXIV.

Imminentis indicia Melancholia produntur è presentia causarum, è quibus illa gignitur, nēpè è vigiliis, cogitationibus alienis, somno tumultuoso, insomniis funestis, totius corporis inertia, pusillanimitate, sermonis tarditate, & confusione; metu sine causa evidente, solitudinis amore, capitis vertigine, flatuumq; circa aures sonore, &c.

LXV.

Instantis verò seu augecentis signa sunt, male suspicari, indebitè imaginari, homines fugere, taciturnum esse, vel incocinnè loqui, sinistreeq; de rebus omnibus, etiam tutissimis, judicare.

LXVI.

Confirmatam verò Melancholiam arguit, metus ac mæror diu præter rationem, perseverans, amicorum & monitorum odium, inordinata manuum, pedum & oculorum motio, de insidiis sibi paratis, de fascino inflicto, de venenis aut philtris propinatis assidua querela, mortis desiderium, sed ejusdem pariter, nisi rationis omnimoda dejectio sibi pro bono mori proponat



formido, & actualis tandem inconditarum cogitationum persecutio.

LXVII.

Ut verò species huius aegritudinis in conspectum veniant, primariæ quidem desipiētiae natura detegitur, tam ex antegressis, quam presentibus notis. Præcesserunt enim tremor aut vertigo, vel diuturnior capitis dolor, Epilepsia, aurium tinnitus, acrior oris saliva, faciei saturatus rubor & assidua in studiis meditatio: adsunt autem jam timor & mœstitia continua, capitis ac cerebri temperatura melancholica, propter quam nunc plenum, nunc vacuum apparet, pustula quoque nigricantes quandoque faciem deturpant, & nulla vel totius vel hypochondriorum affectorum signa cernuntur.

LXVIII.

A toto corporis habitu melancholicum <sup>adus</sup> emergere denotat, ejusdem constitutio nigra, gracilis, hirsuta, cum venis latis: faciei rubedo cum scintillis rubeis ante oculos, vel etiam flavedo: cum primis præcurrentibus vigiliis, sollicitudinibus, laboribus intensis, victuque crassiore, melancholicum sanguinem generante: conspirante  
etiam



etiam hemorrhoidū vel mensium suppressione,  
calida jecoris intemperie, anni tempore, regionis  
& ætatis cōsideratione. quod si febres acutæ mor-  
bi atrabiliarij, quartana, lepra, prædecesserint,  
adhuc majoris erit argumenti. Quod si vena  
cubiti mediana sectio sanguinem crassum & ni-  
gricantem fundat, notitiam dabit certio-  
rem.

LXIX.

Hypochondriacam denique passionem de-  
nunciant ventriculi dolores acres, cruditates,  
olidi vel acidi ructus præter acidorum, usum,  
ventosa spirationes & turbulenta murmura,  
præcordia suspensa, tensa & gravata, nonnun-  
quam calore ad dorsum usq; extenso ferventia,  
propter alimētum turgescens, bulliēsq; in ventri-  
culo, nec descendēs: hinc à cibo sputū plurimum,  
quandoq; vomitus crudi alimenti, vel pituitæ,  
plerunq; acidus: à quo tamen, ut & concoctio-  
ne peracta & egestione facta levantur: ventris  
ariditas & astrictio, obfæces à calore assatas, spi-  
ritusq; ad superiora conversos: insuetam manden-  
di cupido, propter acidum in vētriculo succum,  
& magna sitis, obstum: cordis palpitatio, capi-  
tis vertigo, oculorum suffusio, catarrhi & sudo-

res



res circa caput, ab halitibus, cor & caput everberantibus: hinc & arteria vehementer pulsant, flatibus gravata: & prius in ventriculo quam capite dicta symptomata sentiuntur.

### LXX.

Causarum indicia sunt & hæc: sanguinis quidem adusti & succo atro permisti, faciei rubedo, venarum plenitudo, linguae gravitas, pulsus plenus ac mollis, urina crassa & subrubra, corporis habitus carnosus, cum risu demētia, quam phlebotomia placat. Plegmatis pallor aut albedo faciei, pigritia, somnolentia, oblivio, pulsus mollis ac parvus, urina spissa & albicans.

### LXXI.

Bilis in humore Melancholico confusa signa inquietudo, pronitas ad iram, contentio, color faciei & oculorum citrinus, pulsus durus ac velox & urina citrina. Melancholiæ simpliciter, corporis habitus niger, mæror ac timor intensior, odium tenacissimum, diffidentia major, pulsus durus, ac parvus, urina tenuis ac pallida. Sin plurius datur miscella humorum, refracta quoque & commista videbuntur accidentia.

D

DE



DE MELANCHOLIÆ  
indicationibus, prognos-  
ticis, & curatione.

*Respondebit*

M. JOHANNES JOACHIMUS  
*Anomæus Lincensis Austriacus.*

THEMA LXXII.

*Διάγνωση* melancholia cuiuslibet è suis indiciis,  
horumq; causas & ex his affectionum differenti-  
as ac naturam hucusq; proposuimus: ut verò  
dextrè *διεξιπείρω* aggrediamur, filo Theseo per in-  
dicationes; & ut intelligamus, an quod expeti-  
mus, assequi liceat, prognosticis opus est, ante-  
quam in auxilia descendamus.

LXXIII.

Indicationes ad hujusmodi malum depel-  
lendum, petuntur ex illius essentia, qua in forma,  
subjecto & efficiente causa consistit.

LXXIV.

Forma, si quatenus accidens est, ab alio de-  
pendens, consideratur, utilem non dat indicati-  
onem;



**E** onem; nisi quis palliativam curam & animi a-  
versionem querat è concentu harmonico, sermoni-  
bus jocosis, fabulis jucundis, aliisque lusibus, de no-  
stri Pauli sententia.

LXXV.

Subiectum ratione sua nobilitatis, necessa-  
riam sui tutelam, vel ab impendentibus malis  
assertionem; ratione verò dyscrasia contraria  
& specifica medicamina postulat.

LXXVI.

Effectrix causa, si fuerit externa, remotio-  
nem sui desiderat: ut si quis ex hemorrhoidum  
retentione laboret, aperiantur, & sanabunt.

LXXVII.

Interna continens utile nihil indicat, nem-  
pe spiritus animalis tenebricosus. Hic enim ad  
ablationem eorum, quae ejus substantiam vel de-  
generare faciunt, ut spiritus vitalis obscurior; vel  
ob admistionem sive materiae sive vaporis alie-  
ni, saltem obfuscant, mox ad suam redit cla-  
ritatem.

LXXVIII.

Spiritus vitalis impurior indicat generan-  
tis intemperiem contrariis cordialibus expugnā-  
dam, frigidis calidam, calidis frigidam: quod si



corporis dyscrasia fovetur à frigiditate, & siccitate cerebri, remediis contrariis hujus etiã recessus est commoderandus.

LXXIX.

Materia, quæ sua confusione cerebri spiritum polluit, omni ingenio prohibenda, revellenda, dissipanda: sanguis quidem peccans, phlebotomiã: reliqui humores vel vapores alteratione & evacuatione.

LXXX.

Causa generans, ut partium à naturali temperie declinatio, ad naturalem compertiam revocanda: si qua viscerum datur oppilatio, attenuantibus, incidentibus ac detergentibus reseranda: si quis ultimò error externus, omnis amovendus est.

LXXXI.

Prognostica.

Quoad *αἰετὸν*: Omnis desipientia periculo non vacat, ut Gal. in comm. aph. 53. sect. 6. monet. Mox igitur inter initia depellenda, propter animalium functionum lesionem: ne processu temporis ob immutatam cerebri *αἰετὸν*, frigidam & siccam, quæ plurimum curationi resistit, & parùm à contrariis, in primis ubi jam habitualis facta, juvatur; & ob spirituum paucitatem



tem & egrotantis pertinaciam, fiat incurabilis.

LXXXII.

Inclinant in hanc affectionem viri maxime, ab anno aetatis 40. ad 60. hirsuti, nigri, quibus e-  
par & cor calidum, caput vero humidum, vena  
lata, color ruber aut flavus: item balbi: foeminae  
rarius, at gravius ita laborant, quia propter hu-  
miditatem plurimam causa morbifica, nisi for-  
tissima, non cedunt: at morbo semel ingravescen-  
te, propter caloris paucitatem, humoris tenaci-  
tatem & animi dejectionem rarissime curan-  
tur.

LXXXIII.

Quae cum risu fit, securior, quā quae μετὶ σπυδῆς.  
Omnium vero mitissima, si recens, hypochon-  
driaca, quaeq; ab externa causa fit, & solam habet  
imaginationem laesam: peior, quae totius corporis  
vitio nascitur: pessima, quae de peculiari capitis  
affectu vel hereditaria est, & ab interna causa  
cum rationis laesione procedit.

LXXXIV.

Aestate & autumno potissimum fiunt me-  
lancholia, sed in vere solvuntur, id est, detegun-  
tur. Gal. lib. 3. aph. 20. & 22. in com. Periculosa  
tamen hoc tempore sunt permutationes melan-

D 3

cho-



cholia in apoplexiam, convulsionem, furorem  
aut cacitatem. Hipp. 6. Aph. 56.

LXXXV.

Fiunt & Melancholici saepius Epileptici, &  
contra, ut Hipp. li. 6. Epid. sect. 8. tex. 54. & Gal.  
lib. 3. de loc. aff. c. 6. monet. Etenim si corpus ce-  
rebri melancholico humore obstruitur, fit Epile-  
psia: sin <sup>Ἀσθενία</sup> vel mens afficitur, h. e. tempera-  
tura cerebri vel spirituum pervertitur, Melan-  
cholia.

LXXXVI.

Terminatur haec ad salutem, vel omnino dis-  
sipata materia, vel ad inferiores partes detrusa  
ac derivata per varices aut haemorrhoides, 6. A-  
phor. 11. & 21. & 47. com. per Elephantiasin aut  
vitiligines, per ulcera vel scabiem secundum A-  
vicennam.

LXXXVII.

Ducit verò ad interitum inveterata, si cum  
instantibus vigiliis, assiduo mœrore, dejecto pe-  
nitus appetitu & omnimoda inedia, propter su-  
spicionem veneni, vires dissolvat, aut in convul-  
sionem, Epilepsiam, apoplexiam permutetur.

LXXXVIII.

Curatio.

Quamvis autem omnis melancholia sit ad  
sanandum dura, velut Constantinus lib. 2. de ea-  
den



dem probat : quod ejus materia sit aliis humo-  
ribus durior & ad educendum difficilior : quod  
membra patientia sint nobilissima, utpote cere-  
brum & os ventriculi : quod accidentia morbi  
sunt maxima, nempe mentis corrupta : & quod  
agri medicinas respuant, nec in datis consiliis ac-  
quiescant : tamen artis auxiliis primo quo vis  
tempore, ne confirmetur, impugnanda.

LXXXIX.

At auxiliorum triplex proficitur genus  
Medicina, secundum Hippocratem lib. ἡ ἐπιεικής  
καὶ ἡ ἐπιεικής καὶ ἡ ἐπιεικής : τὰ μὲν χειρουργία, τὰ δὲ φάρμακα, καὶ τὰ διαίτημα :  
ἡ χειρουργία : hoc est, Chirurgiam, Pharmacia  
& Diatam.

XC.

DIÆTA primò venit in contemplatio-  
nem, siquidem causis tam remotissimis, quam victus reg-  
men. propinquis obversari debet : & hujus unius me-  
rito plurimos ab initio melancholicos à se curatos  
gloriat Galenus lib. 3. de loc. aff. c. 6. Non au-  
tem per diætam solum victus rationem, sed alia-  
rum quoq; non naturalium rerum regimen ac-  
cipimus.

XCI.

Sic in omni Melancholia sit AER clarus,  
tem-



temperatus, magis ad humidum, quam ad frigidum accedens, non fetens sed suavis, ob spirituum refectionem. Si talis non est, per artem fiat, sparsis in pavimentum redolentibus herbis ac floribus, foliis salicis, vitis vinifera, floribus nymphaeae, violis, rosis, aliisque. Sed & aqua & aceti fiat irroratio, vel suffitus, è storace, moscho, & aliis. **XCII.**

Cubile patientis sit semper luminosum, & noctu candelis accensis: nam tenebris offenditur: absint verò picturae, ne alienatum magis ad insaniam ducant.

**XCIII.**

Cibi sint εὐχρηστοὶ, εὐπεπτοί, parum humectantes non flatuosi & qui generosum sanguinem lucidosque spiritus, at parum recrementi gignunt: ut ova recentia sorbilia, ex hordeo pulticula, ex herbis blitum, lactuca, spinachia, borrago, buglossum, Intybus; è fructibus poma dulcia, passula amygdale, injuba, pistacia, pineae, & ex his parata Diamygdalata; quandoque etiam cerasa, pyra, pruna, mora, persica, mala punica & alia.

**XCIV.**

Carnium duriorum, de quibus supra, damnatur



tur usus: indulgetur autem tenellarum, ut sunt  
angine, vitulina, hadina, pullorum gallina, ca-  
ponum, perdicum, turturum, sturnorum & me-  
rularum juvenū, praesertim sicum lactuca, bor-  
ragine vel 4. seminibus frigidis pecia rara liga-  
tis elixentur. Episcibus saxatiles & squamo-  
sos praeserimus: marinos & sale conditos aver-  
samur. Aetius tamen commendat Erinaceos  
marinos: alij cancos fluviatiles, in aqua hordei  
vel ciceris coctos.

### XC V.

Depradicant aliqui lupi carnem, & praefer-  
tim cor ejus; alij carnem accipitris cum succo  
majorana; vel pulli noctuae, vel aquam destilla-  
tionis ex muribus, cum alimentis assumendam:  
quasi virtute penitus occulta melancholicis cogi-  
tationibus resistent. At qui fidem experientia  
relinquimus.

### XC VI.

Detestamur quoque de Mesuae consilio acria,  
falsa & diuretica: quae subtiles humoris peccan-  
tis partes attenuant & evaporando dissolvunt,  
interim verò crassiores impingunt, & exsiccant,  
ut lapidis naturam assumant.

### XC VII.

E

Acc-



Acetum, quod refrigerat ac siccatur, an hoc in loco sit utile dubitatur, ex Hipp. l. de vict. acut. 3. com. 38. quod nigram bilem fermentet, in sublimem attollat, & adaugeat. Aetius tamen tetr. 2. serm. 2. cap. 10. ut & Paulus lib. 3. c. 14. propinare jubet: at parum, & à cibo dormitum ituris. Ita enim vaporum ascensum ad caput prohibet, sanguinisque fervorem remittit. Ammiscenda sunt huic & alia, calida & humida, ut borrago buglossa, qua temperaturam ejus immutant. Sic acetaria fieri possunt non inutilia.

### XCVIII.

Potus loco sit aut Cerevisia pellucida, mediocriter dulcis, & bene defecata, condita interdum absynthio, Enula, scolopendrio, cortibus rad. bugloss. & sim. aut assuetis vinum, sed album, tenue, dulce & lymphatum.

### XCIX.

Somnus hic liberalior valde conducit, & quia phantasia quietem praestat, & quia cerebrum humectat. Hic igitur, urgentibus vigiliis, arte provocandus. C.

Venus etiam licita & moderata non raro melancholicos juvat, quia corpus leve & virile red-



reddat, vacuat; animam impediatem solvit,  
& impotentem iram remittit, Aegineta l. 1. c.  
35. Maximè verò, si ex semine retento vel amore  
vesano fuerit malum, admittenda.

### C I.

Sed & à suis facibus alvus quotidie exone-  
randa, si non natura impulsu, tamen artis auxi-  
lio, ne fomes putredinis accumuletur. Hinc ad  
exercitia corporis & animi jucunda demittendi.  
Corporis quidem tranquilla sit motio, nempe per  
amœna loca, per viridantia prava deambula-  
tio, per sylvas equitatio & venatio, per flumina  
leniter euntia navigatio, cum facundo, grato vel  
etiã formoso comitatu. CII.

Invitentur insuper ad balnea dulcis aque  
tepentia, quibus humectantia & refrigerantia  
incocta sint, ut malva, althea, fol. salicis, cucurb.  
viola, nymphae & flores semlini & c. hæc enim corpus  
blande irrigant & ejus fuligines apertis poris e-  
vocant. Non tamen ad sudorem usq; immoran-  
randum, ne corporis fiat resolutio & exsiccatio.

### CIII.

Prestat etiã in balneo caput embrochis ido-  
neis tepidè perfundere, tum humectandi &  
somnia provocandi causa, tum propter melan-  
cholicũ humorẽ digerendum ac resolvendum.



## CIV.

Exercendus deniq; animus, ne profundis cogitationibus immergatur, vel potius divertendus est colloquiis delectabilibus, cantilenis, instrumentis musicis, carminibus fabulosis, ostentatione divitiarum: vel, si his non auscultat, levi objurgatione. CV.

Chirurgia.

Dieta verò tranquillitatem animi non revocante famulam Medicinæ alteram imploremus Chirurgiam, quæ variis instrumentis idipsum tentat, phlebotomia, scarificatione, hircudinum affixione vel aliis.

## CVI.

Phlebotomiam tametsi Galenus in melancholia primaria non suadet, cum à succo excrementicio, & non à sanguinis redundantia fieri possit, ac metus sit, ne sanguine tenuiore & calido detracto, melancholicus humor magis infrigidetur, & pejor fiat: adhibendam tamen arbitramur, & propter antecedentis cause diversionem, & propter conjunctæ remotionem, ac superstitis materiae preparationem.

## CVII.

Secetur igitur gratia diversionis, (premissis  
alvi



alvi lenitivo, corporis motu & brachij cum pan-  
nis asperis fricatione, quib. sanguis attenuatur.)  
Cephalica, latiore facto vena foramine, ut cras-  
siores effluat, qui si riger ac spissior fuerit, ad uncias  
4. vel 5. educatur: si clarior ac subtilior, vena  
clausa comprimatur. In grave scente malo, fron-  
tis aut narium venulas aperire quidam jubent.

### CVIII.

A toto si fuerit affectio, facibus alvi ductis,  
major est necessitas tundendi basilicam, qua tam  
superna, quam inferna corporis à sanguinis ple-  
thora liberat. Et multum quidem simul ac se-  
mel, ubi vires constant; aut partitis vicibus e-  
mittendum. Si jecur morbi causa Hepatica;  
si lien, salvatella; si mensum, saphena; si hæ-  
morrhoidum, vena tali referanda, studendumq;  
sedulo, ut obstructi fontes ad antiquum fluorem  
redeant.

### CIX.

In Hypochondriaca passione non minus u-  
tilem vena sectionem censemus, at nō in brachio,  
ne sanguis bonus pro vitioso, qui in hypochon-  
driis hæret, effundatur, ac malus infra jecur la-  
tens sursum trahatur, & ita cerebrum petat.  
Potius igitur vena crurum vel hæmorrhoidales



*aperiende causa vacuationis ac revulsionis.*

**CX.**

*Scarificatio vicariam phlebotomia, quam  
sape morbus exigit, at etatis respectus aut virium  
infirmitas excludit, operam supplet. Cucurbitu-  
la verò secundum causa exigentiã nunc brachiis,  
nunc natibus aut cruribus applicanda.*

**CXI.**

*Hirudines itidem juxta succi peccantis sub-  
sistentiã aliquando naribus, aliquando hemor-  
rhoidalib. venis, aliquando crurib. affigantur:  
locum tamen antea tepente aqua diu multumq;  
foveas, ut sanguis crassior fundatur, alliciatur,  
cedat & egrediatur. CXII.*

*Spectant ad Chirurgiam quoq; Cauteria &  
Trepnatio, remedia quidem horrenda, & non  
nisi ultimo loco usurpanda: non tamen omninò  
pretereunda, quando quidem desperatis salutem  
reparasse leguntur. CXIII.*

*Cauteria, si jam fixus ac firmatus in capite  
sit humor, ut aliis eradicari medicamentis non  
potuerit, haud infeliciter administrari proba-  
rit eventus. Aliqui enim potentiale, quidam a-  
ctuale cauterium vel sutura capitis coronali, vel*

*eti-*



etiã occipiti admoventes, ut ad os usq; vis ignis  
penetret, auxilium præsens sunt experti: vaporibus  
scilicet atris per apertum diu vulnus dissi-  
patus.

#### CXIV.

Trepanatio seu cranei per trepanum facta  
apertio non minus rationem & experienciã ha-  
bet suffragantem. Incisa enim per crucem verti-  
cis cute & abrasa, cranium terebrã perforatur,  
ut fuliginosa cerebri excrementa vacuentur, ac  
resolvantur. Ita Guainerius nobilem fœminam  
sanavit: ita Gordonius alium è vulnere capitis,  
Salustius Salvianus alium mulierem ex alto  
cadentem fracto craneo viderunt à melancho-  
lia liberatos.

#### CXV.

Restat, ut in auxilium contra hostem rebel-  
lem, tertiã Medicinæ pedissequam asciscamus,  
hac à suis armis *Phaganea* nominatur. Illa verò  
duplici intentione decernuntur, aut ad vacuan-  
dum, aut ad alterandum.

#### CXVI.

Quæ vacuant, alia primas vias lubricant, de-  
tergent, emolliunt, ut reliquis patentior sit tran-  
situs. Ita noduli ex ovi vitello cum speciebus Ele-

tu-



Stuarij de baccis lauri, croco & sale panno lineo  
exceptis; ficus pinguior cum speciebus hiera picra  
respersa, filoq; sericeo in tortilem mucronem fasti-  
giata, & cū oleo vel rosato melle oblita, subdun-  
tur. Clysteres etiam è pinguibus, humectantibus  
& carminatibus injiciuntur. Alia verò melan-  
cholicum educunt humorem.

### CXVII.

Hic verò prout variis in partibus residet, &  
vel obediens vel refractarius est: ita quandoq;  
medicamentis blandioribus evocari, quandoq;  
vehementioribus exturbari meretur.

### CXVIII.

Blandioribus quidem tractandus est ab ini-  
tio, siue malum in cerebro primarium fuerit ac  
recens, humore tum peccante nondum obnixè  
resistente: cujusmodi per humectantem victum  
balneorum frequentiam, aliaq; delectamenta,  
nullo fortiore presidio adhibito, sanavit Galen.  
siue in toto aut hypochondriis confederit.

### CXIX.

Militant in hoc genere benignorum è sim-  
plicibus quidem cassia, Manna, tamarindi, E-  
pithymum, polypodium, serum lactis: è compo-  
sitis



fitis Diacassia, cassia cum fol. sena, lenitivum,  
Diacatholicum, Diasena. Quae omnia nunc in  
bolo, nunc in potu cum aliis, nunc in clysmis ad-  
ministrantur.

### CXX.

Veherentioribus autem cathartics ante-  
quam ut amur, humoris atri frigiditas modicè  
calescentibus, siccitas assatim humectantibus,  
crassities attenuantibus, lentor abstergentibus,  
ne faciat infarctus, attemperanda: quem appa-  
ratum plerumq, melancholia vitio totius aut  
hypochoondriorum orta efflagitat.

### CXXI.

Profunt hoc nomine de simplicibus borrago,  
buglossum, scolopendria, fumaria, Ceterach, Cu-  
scuta, Lupuli summitates, radices polypodij, gly-  
cyrrhiza, Enula, cort. rad. capp. tamarisci, sem:  
anisi foenicul. citri, pass. flores violarum borrag.  
buglosse: vel decocta ve eorum liquores destil-  
lati: de compositis dictorum syrupi usuales, aut  
alij, de pomis duplex, de Epithymo, capillorum  
Veneris & sim. cum aquis vel apozematibus or-  
dinandis.

### CXXII.

Cum verò propter causas allegatas magna

E

fit



sit faculenti ac terreni succi erga pharmacum cō-  
tumacia, nō satis est huiusmodi preparātia semel  
degustasse, sed eadem sepius iteranda sunt, ut  
humor noxius eò melius alteretur, eductioni sit  
facilior, sinemq; purgatio largius assequatur.

### CXXIII.

Sic igitur edomitam paulatim concoctamq;  
materie partem catharticas per intervalla tē-  
porum subtrahere consultum est: non quidem  
vehementissimis, cum semel & universe tota,  
propter suam morositatem evelli nequeat, sed il-  
lorum usu fiat se vior: verum fortioribus quidē,  
at nō malignis, ne plus justo humores ab his tur-  
bentur, viresque dejiciantur.

### CXXIV.

Præstant plenius ac mitius evacuando folia  
& folliculi sene, Epithymum, polypodium, myra-  
balani indi cum oleo amygdal. dulc. prius præ-  
parati, vel in sero lactis, ubi materia acrior, & e-  
par calidius; vel in mulso, si crassior humor &  
lien turgidior. vel in jure veteris galli, vel in a-  
lio liquore infusa decoctæ vè: Compositorum ve-  
rò præcipua, passule laxativa, syr. de fol. sene, de  
Epithymo, Electuarium lenitivum, Diasena, Hi-  
era



era cum pulvere Epithymi. Catharticum impe-  
riale: qua vel in decocto flor. & fruct. vel in aliis,  
paulo majore quantitate propinantur.

CXXV.

Talibus, intercurfante femper alterantium  
crebriore usu, rebellem subinde melancholiam,  
aggredi & amoliri annit amur, at hac quoq, si  
victoriam reportare nequeunt, ad fortissima  
tandem, sed raro & cautè nos recipiemus, ut sunt  
è simplicibus elleborus albus ac niger hujusq, de-  
coctum, syrupus vel extractum: lapides Arme-  
nus & Lazuli: è compositis confectio Hamech,  
Hiera Logadij, Tryphera Persica, pil: de lap: Cy-  
aneo, de Armenio, lucis minores, cochia cum elle-  
boro, pulvis Haly: CXXVI.

Elleborus (quem veteres, absolutè pronunci-  
antes, albū intelligunt) antiquitus frequētissimo  
fuit in usu, ad superna corporis vomitu exoneran-  
da. Sic Oribas. l. 7. Collect. in fine & lib. 8. capitib.  
aliquot primis, ellebori utilitates in melancho-  
lia, Epilepsia, Apoplexia, vertigine, lepra & a-  
liis, ut endiq, modum persequitur. At hunc aliqui  
recentiorum damnant, siquidem difficillimam  
ventriculi subversionem, torsionem, & strangu-  
lationem quoque infert. Quae tamen in-  
commoda, si quis aliàs à vomitione non alienus,



ventriculum cruditatibus scatentem, & corpus  
preparatum habet, in ejusdem rectificati infuso  
vel decocto, non animadvertet, ut Mercurialis  
& Heurnius de compos. med. & in primis Pe-  
trus Salius de affect. part. c. 19. abunde convin-  
cunt.

CXXVII.

Niger elleborus utramq; bilem detrahit in  
album non è visceribus modo, sed è venis, parti-  
busq; corporis extremis atq; cerebro: præcellit ni-  
hilominus hujus extractum, cujus scrup. j. vel dra-  
sem. tantum potest, quantum vix uncia cetero-  
rum.

CXXVIII.

Guainerius tract. 15. cap. 6. delectabilem &  
utile valde è diagrid. scrup. j. petiæ rara ligati, &  
in syr. violac. unc. ij. Aquæ Endivæ unc. iij. aq.  
buglosse unc. ij. decocti potiunculam laudat: ut  
& pulverè, è lap. Armen. sufficienter loti scrup.  
ij. croci scrup. sem. macis scrup. j. & saccharo pau-  
co: quem cum aqua exhibere jubet, seq; nunquã  
ex eo defraudatum dicit.

CXXIX.

Tarantanus lib. 1. pract. cap. 13. sub fine, pul-  
verem Haly, nihil aliis proficientibus, medici-  
nam coronatam & secretissimam vocat, quod  
hu-



hujus beneficio intellectus hominis quasi deperdi-  
tus instauratur. Habet ille Epithym:cret: unc. S.  
lap: Lazul: præp: Agar: fœmina drach. ij. Scam-  
mon. drach. j. Caryophyll. nu. xx. F. ex his pulvis,  
de quo drach. ij. singulis septimanis exhibenda.

CXXX.

Nonnulli recentiorum antimonio insania  
etiam inveterata profligationem pollicentur. At  
justè preparatum sit oportet. Quid enim florib.  
antimonij præstantius? quid ejus oleo dulcius?  
quid essentia extracta feliciter? inquit Penottus.  
Ut verò ritè depuratum & in sua principia re-  
solutum rarissimè datur: ita non usq; adeo tutus  
ac frequens ejus usus est.

CXXXI.

Semper autem forma potabilis ad eductio-  
nem humoris melancholici per se crassi & sicci,  
longè potentior, quàm siccior pulverum aut ca-  
tapatorum, quæ magis calefaciunt ac desiccant.  
Nisi fortè prius enemate molliente, ceu Rondete-  
tius autor est, alvus persundatur, ut ad stirpem  
maliradicitus evellendam pilule vel pulveres  
utilius deglutiantur: & post horum usum vel

F 3

aqua



aqua hordei vel alia potio diluens, ut Rhases  
vult, superbibatur.

CXXXII.

Et si verò succus effrenatior crebram præpa-  
rantium ac purgantium repetitionem postulat:  
interdum tamen inducias affectui præstare ex-  
pedit, ne virtus assiduo medicinarum usu fran-  
gatur ille verò exasperetur. Interim nausea à  
pharmacis orta oblivio & bona aeris temperies  
expectanda, corpusq; antidotis confortandum.

CXXXIII.

De Vacuantibus, quæ sensibilibus humorem vi-  
tium detrahunt, hucusq; sequuntur alteran-  
tia, quæ vel à contentis humoribus, vel à conti-  
nentibus partibus indicantur.

CXXXIV.

Humor Melancholicus, ut frigidus, aridus.  
& crassus est, ita modicè calefacientibus & inci-  
dentibus, nempe syrupis de cort. citri. de pom. a-  
cetos. criti, acetosa, conserv. viol. borrag. bugloss.  
anth. meliss. Stœchad. Enula, nymph. scolopēdrij,  
specieb. Elect. letif. Diamarg. frig. de gemmis,  
Dianth. Diambre, Diamoschi dulc. aliisq; oleis  
destillatis ad invagationem revocandus.

Par-



CXXXV.

Partes corporis prout vel intemperie varia  
labefactata, vel à proprio temperamento longius  
recesserunt, ita diversis etiam refocillanda & ad  
analogiam propriam reducenda sunt.

CXXXVI.

Totum quidem corpus ubi refrigeratum & ad  
ariditatem pertractum, balneo dulcis aqua  
tepedo cum aliis incoctis, ut supra docuimus, hu-  
mectandum ac fovendum: postea oleo amygd.  
chamœmil. vel adipe gallin. inungendum.

CXXXVII.

Si caput affectum dyscrasia calida, deton-  
sum cum decocto fol. salicis, lactuca, cap. papav.  
& similibus irrigandum: hinc oleo viol. vel ane-  
thino illinendum. Conducunt etiam intracorporis  
exhibita condita cort. citri, limon. arant. Dia-  
marg. frig. Diatrionsantaloni & alia. Sin fri-  
gida contrariis & abluendum & contemperan-  
dum.

CXXXVIII.

Si cordis temperies mutata sit ad frigidita-  
tem, non tantum ipsi per confortantia, Diamosc.  
diamb. dianthos, diaxyloaloes, Dimarg. cal.  
cum syr. de succo borrag. buglossa exhibita, sed  
etiam



etiam per epithemata è dictis speciebus & vino  
malvatico prospiciendum: sin ad caliditatem,  
acetositatem citri, santalis, cāphora, margaritis,  
specieb. Diarrh. Abb. sine calid. Diamarg. frig.  
Diatrionsant. cōd. citri carn. & arantii inte-  
gris acidis, nec non foris Epithemate infrigidan-  
te vel appositis sacculis consulendum.

CXXXIX.

Si jecoris ardor sanguinem adurit, intus pro-  
sunt condita caulium lactuc. Endiv. conseru.  
Cich. viol. Elect: Diarrh: sine specieb. Diatrionsan:  
Diamarg. frig. cum syr. Endiv. viol. oxysach. &  
similibus: epithemata ex aquis Endiv. ros. lactu-  
cæ, cucurb. santalis, rosis rubeis aceto, campho-  
ra, & sim.

CXL.

Quod si ventriculus aut lien, aut uterus ori-  
ginem affectioni melancholica præbeant, iis quo-  
que convenientibus, & appropriatis auxiliand-  
um, ne vel amplius alienam materiam, vel  
qualitatem pariant, neq; ad cerebrum trans-  
mittant.

CXLI.

Ceterum, ut ut saepe fiat uāguis atque mem-  
brorum confirmatio: remanent tamen humorū  
peccantium plerunq; reliquie, qua nisi penitus

dis-



dissipentur, iterum colligi, maliq; recidiuam fa-  
cere possunt.

CXLII.

Caput igitur per nares errhinis, per os masti-  
catoriis vel gargarismis: per embrochas & in-  
unctiones à reliquiis illis vindicandum. Frictio-  
nibus verò & ligaturis extremorum nec non a-  
liquando clysterū vel scarificationis usu, ne quid  
aliunde ad cerebrum eleuetur, reuellendum.

CXLIII.

In hypochondriaca deniq; cum saepe cruditas  
& humoris pituitosi copia obstructionis, efferve-  
scentia, flatuumq; causa sit, illa quoq; debitis re-  
mediis apparanda & expurganda, siue per su-  
perna vomitu ex asaro, radricula, floribus anti-  
monij vel aliis, si ad hunc proclivis ager est: siue  
per internum guttur.

CXLIII.

Partes etiam affectæ per decocta absynth. cen-  
taurij minoris, chamadrios, pulegij &c. alte-  
randa: per interna, nempe Diacymmin, Diaga-  
lang. arom: rosat: theriacam vel alia confirmā-  
da, & à reliquiis per litus ex oleis calidis ac disou-  
tientibus, per sacculos aliaq; ingenia defen-  
denda.

G

Ur-



## CXLV.

Urgente verò perenni vigiliarum instantia, quarum remotio in curatione magnum habet momentum, illis quacumq; via resistendum: præter eam, superius expositã capitis lotionem, & inunctionem, etiam pedes manusq; frigidorũ decocto abluendi; temporibus ac vertici capitis sacculus, naribus olea refrigerantia ut nymphae mandragora &c. vel unguenta popul. rosat. aut pomarium aut ellychnium è flor: viol: nymphae utriusq;, cucurb: papa. ros. santal. camphora etiã applicanda: seu deniq; philonij aut requiei Nicol. scrup. ij. aut pil. de cynoglossa scrup. sem. cubitum ituris caute offerenda.

## CXLVI.

Præter hanc ordinariam curandi methodum, de qua nunc egimus, accedunt & illa, quod aliquando melancholicorum corpora mordacibus urticis probe perfricantur, vel si aliàs coerceri nequeunt virgis aut flagris caduntur, cathenis detinentur, ne sibi vel aliis vim inferant: aut etiam sibi relinquuntur, smaragdus de collo ipsorũ suspensis, aut horum pulvere cum syr: de cort. vel acore citri vel syr. de pomis exhibito. Sic enim  
 sapius



Sepius sua sponte ad mentem redeunt.

CXLVII.

Non paucis etiam, pervicacem animi exorbitationem neque, medicamentis, neque, vi corrigi, sed obsequio dimoveri posse, comprobavit experientia. Sic mulieri de colubro devorato, ut opinabatur, ac per vomitum, cui serpens clava injectus, exonerato; cuidam de proboscide Elephanti suo naso connata, per sarcimen adhibitum ac frustulum resectum ejusque, nasi lesionem atque, cruentationem; alteri se mortuum simulanti, cibumque omnem renuenti, per alterius, qui se quoque mortuum, at nihilominus cibi indigum profitebatur, phantasmata sunt adempta, sanitasque mentis, quam precamur omnibus, restituta.

F I N I S.









05 A 1197

**ULB Halle** 3  
003 764 753




V. 1197












B.I.G.

Farbkarte #13



O. M. A.  
 De  
**NCHOLIA**  
 ; speciebus  
 ὠνισμα ιατρικόν  
 Quod  
 VB PRAESIDIO  
**E TANDLERI**  
 D. & Medicinæ Profels.  
 Publ.  
*ademia Leucorea pro Medica*  
*icentia impetranda,*  
*ublicè propugnabunt*  
 is Schmilauer,  
 u Iglaviensis Moravus.  
**annes Ioachimus**  
 s Lincensis Austriacus.  
*ris horis matutinis ac pomeridianis,*  
*icroaterio majore.*



A

